



36

36

37

38

39

40

41



14
1772, 39.

PROCANCELLARIVS
D. CHRISTIANVS LVDOVICVS
STIEGLITZ,

IN SVPREMA CVRIA PROVINC. SAX. ET FACVLTATIS
IVRIDICAE IN HAC ACADEMIA ASSESSOR, CIVITATIS
PROCONSVL, ET ECCLESIAE WVRZENSIS
CANONICVS

SOLEMNIA

P 482,
INAUGVRATIONIS DOCTORALIS

VIRI PRAENOBILISSIMI

AVGVSTINI FRIDERICI MÜLLERI A BERNECK,

D. XXX. APRILIS A. MDCCCLXXII.

HABENDA INDICIT

A G

De executione rei iudicatae in causis ecclesiasticis
agit.



PROVINCIALIARIVS
D. CHRISTIANVS LUDOVICVS
STIEGLITZ

IN SVBSTITVTIONEM
INSTITVTI IN HAC ACADEMIA
PUBBLICA ASTRONOMICA
D. XXXI. APRILIS A. MDCCCXXII.

SOLEMNI


INVESTITIOE DOCTORALIS

AVGVSTINI ERDMANNI M. A. HERRMANNI

D. XXXI. APRILIS A. MDCCCXXII.

HABENDA INDICIT


De Institutione et Inductioe in officio



527.08





 Quis nescit inter ICtos, quanta vis sit, atque auctoritas rei iudicatae, adeo, vt, de pragmaticorum sententia, ex nigro faciat album et ex albo nigrum, et, vt legum verbis vtar, cap. 13. X. de sent. et re iudic. *sententia, postquam in rem iudicatam transit, inter litigantes ius faciat, aut post rem iudicatam, vel iureiurando decilam, vel confessionem in iure factam, nihil quaeratur.* l. 56. D. de re iudic. Et quid, quaeso, reipublicae potest magis prodesse, quid iura ciuium, bona incolarum, animorumque tranquillitatem magis firmare, atque iustitiam tanquam nauem in portu collocare, quam si publica *salus maxime rebus iudicatis contineatur, vt CICERO ait.* Sed cum ipsa legum potestas, rei publicae salus vrgeat, vt iudicarum rerum intacta maneat auctoritas, atque contra omnem vim stet secura, tantum abest, vt ei in omnibus omnino causis imperium permittant Iuris Interpretes, vt ei potius in ecclesiasticis et criminalibus vim prorsus fere denegent; quare factum, vt, tum veteres ICti, SANCHEZ de *matrim. lib. 7. Disp. 100.* BEVST de *matrim. cap. 39.* et BRVNEMAN, *Iur. Eccl. Lib. III. cap. 9. §. 7.* aliique eandem opinionem defendere conati sint, tum inter recentiores atque illustres Iureconsultos, Viri magni nominis IOH. A 2 HENR.

HENR. BERGER *Elect. proc. matrim. §. 45. et in resolut. ad Lauterbach. pag. 735.* IVST. HENN. BOEHMER in singulari *dissert. de sententiis in rem iudicatam non transeuntibus* f. *Exercitatt. ad Pand. LXXXVII. To. V. §. 36. sqq.* hanc rei iudicatae auctoritatem in Iure Ecclesiastico prorsus auferant. Sed idem ille BOEHMERVS, qui contrariam atque vulgarem sententiam primo defenderat, hanc, re melius perspecta, ipse, vt legibus aduersam, impugnat, grauissimisque refellit argumentis, *Iur. Ecclesiast. Protest. Lib. II. Tit. XXVII. §. 43. To. I.* cui accessit Doctissimus et vetere mihi amicitia coniunctissimus CAROL. FRID. WINCKLERVS, in *Diss. de fauore causarum matrimonialium nimio, e foris proscribendo, Goett. 1745, habita §. 13.* Qua in re cum aduersariorum sententia satis sit confutata, stat nostra sententia, quasi murus firmus, insuperque his aduersus illorum impetus oppositus, praesidiis legum, velut munimento, circumseptus. *Cap. 13. X. de sentent. et re iudic. Sententia, cum nulla fuerit appellatione suspensa, in rem transit iudicatam, adeo, vt quod, quantum ad litigantes ipsos ius ex sententia factum fuit, postquam in rem transit iudicatam, etiam si contra ius litigatoris lata fuisset, attendatur et, cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei iudicatae transeat, ei, qui ad prouocationis subsidium, infra id temporis non recurrit, appellandi aditum, quod per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse, denegat. Cap. 15. X. l. c.* Si igitur, quod certo est certius, Ius Canonicum, quod hac in re sequimur, in vniuersum admittit rei iudicatae auctoritatem, eo magis, credo, inhaerendum est huic regulae, iurisque principio, neque habemus, cur magis huic rei inhaereamus, vt potius quid de eius executione sit sentiendum, curatius videamus.

Cum omnis iuris circa sacra sanctio, vel in personis ecclesiasticis, eorumque tum officiis, tum beneficiis, vel in causis ecclesiasticis, et spiritualibus, aut iis, vt, aiunt, propius accedentibus, cernitur, quid in ipsos clericos iuris res iudicata exerceat, consideremus.

Quod contra clericum, si ex contractu, et obligatione inita conuenitur, coram iudice ecclesiastico, causaque cognita fertur sententia, neque illa intra decem dies impugnata est, res inde iudicata

dicata nascatur, quis, quaeso, vel dubitauit vnquam, vel dubitabit? Ex quo enim sententia in rem iudicatam transit, in clericum, vti in aliis ciuilibus actionibus, eius executio locum inuenit, neque facile potest retractari. At nonne retractatur talis sententia, si competentiae beneficium ad leuanda onera oeconomica, quod ipsi est relinquendum, pastor obiciat! Quod quanquam fiat interdum, semper ea tamen manet res iudicata, etsi propter sacerdotis vitam sustentandam aliqua ex parte restringatur.

Sed quid de clericorum delictis dicamus, quae poenis, vt scimus, v. c. carcere et multa coercentur? Scio enim, praui-deoque, fore, vt consuetum mihi pragmaticorum occinatur carmen, obuertaturque curiae stilus, ex quo sententiae, latae in causis criminalibus, in rem iudicatam non transeant. Sed, nisi in verbis ludimus, est haec aliqua species rei iudicatae; nam eadem fere ratione, qua in causa ciuili rem iudicatam sequitur executio, ita, in delictis, si aliter res se haberet, nulla staret sententia, nec ad executionem poenae perueniri posset, nisi ipse in eam consentiret reus, qui a poena semper abhorret.

Iam, cum certus clericis adhaereat status, quid de eo sit iuris, paucis perpendamus. Et in causis quidem beneficiariis, cum sententiam dictam transire in rem iudicatam, in iure ecclesiae, dubitent, ipseque BOEHMERVS *add. diff. contrarium doceat, cap. 32. in fine X. de Elect.* statuit sententiam in rem iudicatam transire, cum intra decennium non fuerit legitima prouocatione suspensa, eo magis, quod iuri suo renunciare potest persona beneficiata; vti contra ecclesiae, si per sententiam talem praeciudicium sibi fieri existimet, ius ei interueniendi relictum manet, *cap. 17. X. de sent. et re iudic.* quo vero cognito, sententia desuper dicta, in rem iudicatam transit. Neque vero omittendum videtur, posse et hac de re inter Protestantem intercedere disputationem, cuius exempla in *notis ad DEYLING. prud. pastor p. 156. not. i. et p. 172. not. y.* a Doctissimo KÜSTNERO allata sunt, aut si, quod nuper est factum, a tutore feudali, candidatus ministerii hic a matre tutrice praesentaretur. Praeterea quoque incidit quaestio de ordinariis, et extraordinariis, quae accidentia appellant, salariis, quando ea vel parochus postulat, vel parochiani praescriptionem obiciunt.

Et cum hae lites vel utriusque partis sopiantur consensu, vel iudicio dirimantur, num successorem in officio teneant hi actus, non prorsus extra omnem dubitationis aleam positum videtur. Nam uti in hac causa privilegiata, personale magis pro se in transactione pactum parochus, sed non, quod teneat successores, inire cernitur, ita in iudicato ecclesiae et succedentibus nullum praecidium inferre potest, cui ius interueniendi, et restitutio in integrum videtur succurrere. Sed in utraque conditione ubi Consistorii auctoritas cognitioque intercesserit, et in prima visione pro lite circumcidenda in perpetuum initam transactionem Consistorium probauerit, aut peracta praescriptionis demonstratione, absoluerit parochianos, quae, ratio superest, quod piae causae praetextu retractari debeat res iudicata, cum iudex simul ecclesiae fauorem respiciat, et contra hanc ipsam quadragenaria praescriptio cum quadriennio restitutionis in integrum currat, *cap. 6. X. de praescripti.*, nisi forte nouas causas, aliaque instrumenta, quae in priori lite non fuerunt adducta, proferre potest ecclesia, ubi ad restitutionem in integrum admittitur, *cap. 5. X. de in integr. restit.*

Ne vero facili in negotio nostri diutius Lectores detineantur, transitum faciamus ad causas matrimoniales, in quibus quid res iudicata valeat, valde disceptatur. Nam si discrimine sponsalium, de praesenti et futuro, quod nullum fere in Protestantium foris vim praestat, rejecto, de validis praecipue verisque sponsalibus agamus, sunt haec vel publica vel clandestina, et in his sententia absolutoria plerumque decernitur, quae quidem eo magis rei iudicatae vim debet exercere, quo minus decipientibus leges opitulantur, adiuantque iniquas astorum implorationes. Qua igitur iusti specie, si, meretrix in flagranti delicto spem matrimonii ex stupratoris ore elicit, hunc condemnare, aut cum stuprata, quae nec nuptias, nec dotationem petit, stupratori, ex delicto coniugii causam quaerenti, matrimonium permittes? At est sane coniugium res ita inaeestimabilis, ut etiam lata contra matrimonium sententia facile debeat retractari. Vti enim, si iusta alia adfic causa, quae reculantem liberet, non est opus restitutione in integrum, *cap. 25. X. de sponsal.* ita eam res iudicata debet habere vim,

vim, vt, si maiores facti ex clandestinis tantum agant sponsalibus, atque causa cadant, nouis argumentis publicorum sponsalium indolem praetextentes, post rem iudicatam infringere eam non possunt, cum non negligentibus subueniatur, sed necessitate rerum impeditis, l. 37. D. ex quibus causis. mai. finisque litium accelerari magis, quam impediti, debeat, quare iniquum esset, eum, qui vicerit, rei iudicatae effectu frustrari.

Sed quid erit faciendum in validis, iisque, quae iure facta sunt, sponsalibus? Iam, vt breuissime ex antea dictis repetam, auctoritatem in causis matrimonii nancisci rem iudicatam, quod, vt speramus, ex Canonum Legibus satis demonstratum videtur, idemque ex Iure Saxonico, praxique forensi Consistoriorum apparet, vbi eiusmodi sententiae in causis de sponsalibus publicis ad consummationem latae, die *Krafft Rochtens ergriffene Urtheile*, appellantur, CARPZOV. *Iurispr. Confist. Lib. II. Def. CXXXIII.* et BEYERI *addit. ad eundem, Def. CXXX. p. 114. et 115.*, adeo, vt, si alteruter matrimonii consummationem recuset, et vel moriatur, vel aufugiat, altera pars ex eiusmodi sententia veri matrimonii effectum fortiat, CARPZ. *l. c. et Def. CXXXVI.* BEYER. *l. cit.* Talis igitur sententia si transit in rem iudicatam, adeo, vt ex sollempnium formula *Bekl. in Verbleibung dessen durch gebührende Zwangs-Mittel billig angehalten wird*, nonne mireris, quod sint, qui locum executioni denegent? inter quos magna in hac iuris parte sunt nomina, e. g. IVST. HENN. BOEHMERVS in *Iure Eccl. Protest. Lib. IV. Tit. I. §. 46. sqq.* et in singulari dissert. *de matrimonio coacto*. STRYCK *de dissensu sponsal. sect. II. §. 3. sq.* et BERGER in *Electis Process. matrim. §. 20. et 45.* MEVIUS *P. VI. Dec. 355. et 356.*, vt quoque CARPZOV. *Tur. Eccl. Lib. II. Def. 133. et 135.*, vacillat, et ab utraque parte stare videtur. Quam ob causam in primis prouocant ad *cap. 2. 10. et 17. X. de sponsal.* ex quibus colligunt ab coactione iudici ex voluntate Canonum prorsus abstinendum, adeo, vt si etiam copula sacerdotalis, inuita altera parte, sit secuta, matrimonium videatur dissolendum, in qua quidem quaestione CARPZOVIVS et STRYCKIVS alique distinguunt, an commixtio carnalis facta sit, nec ne, vt in primo casu compulsionem absol-

tam,

VIII

tam, non idem in altero, ex plerorumque Iuris Canonici Doctorum sententia admittunt. STRYCK l. c. sect. II. §. 48. et 49. et BOEHMERVS absolutam coactionem in stupratore, stupratam dotare nolente, aut perpetuam cum femina consuetudinem habente, propugnat, *Iur. Eccl. Prot. l. c. §. 55. et 57.* Sunt etiam multi, qui iure Saxonico ad nuptias contrahendas reum non cogendum arbitrentur, quod secundum CARPZOVII doctrinam. *l. add. Def. 133. et 134.*, carcere, multa pecuniaria, relegatione, imo fustigatione *Def. 135.* nolentes coerceantur.

Quo magis igitur legum has opinionumque sententias apud me reuoluo, eo magis contendo, rei iudicatae in causa matrimoniali nunquam prohibitam esse executionem, licet, quantum potest, ea sit vitanda. Iam vero, ut supra demonstratum dedimus, in matrimonii specie obtinere rem iudicatam, ita etiam, dari eam executioni, satis apparebit. Vti enim, hoc in vniuersum cum Iure Ecclesiastico pugnat, quod praecipit *Cap. 15. X. de sent. et re iudic.* vbi, postquam in rem iudicatam transit sententia, *executio ipsius sententiae non conuenit retardari*, quare etiam *executioni datur cap. 5. 17. X. h. t.* et quidem praecipue iudici seculari, cf. GEORG. AD. STRVV. de *brachio seculari*, ita hoc in matrimoniis procedit, cum retractans illud distincte compellitur, *ut ipsam in uxorem recipiat cap. 10. X. de sponsal.* atque compellitur *iuramentum de sponsalibus praestitum seruare, cap. 2. eod. et iudicis faciant sicut virum et uxorem in sinu permanere, cap. 7. X. eod.* Neque vero in ipsa re est, quod matrimonii naturae obsit. Ex nostris enim praecipis cum perfectam sponsalia producant obligationem, vterque ad faciendum, consummandumque tenetur ex pacto matrimonium, non ad id, quod interest, quoniam, rem ipsam praestare, in reluctantis est potestate, quod ipse BOEHMERVS agnouit *l. c. §. 48.* Quod si verum est, ut est verissimum, quid impedit, quominus et per executionem renuens ad consummationem matrimonii possit adigi?

Neque officiunt adducta capitula, in quorum primo, scilicet *cap. 17. X. de sponsal.* executionis non expressa prohibitio, sed admonitio potius, iuuenitur. Nam etsi SANCHEZ *de matrim. Lib. I. Disp. 29. n. 4.* de hoc casu id intelligit, in quo iusta repudii causa

caussa adfit, itemque GONZALEZIVS, aliique, verba: *monenda est potius*, ex *cap. 10. eod.*, quod sit prius monenda, explicant, tamen istud, *monenda est potius, quam cogenda*, non alia ratione est accipiendum, quam, cum proficuum sit, vt libera sint matrimonia, soleantque coacta ristes frequenter habere exitus, *monenda sit renuens*, s. vt *cap. 2. X. h. t.* requirit, *commonenda, et modis omnibus inducenda*, vt *praestitam fidem, obseruet*, si autem se ad *invicem admittere nolint*, ne forte deterius inde contingat, vt talem scilicet ducat, *quam odio habet, videtur quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, et postea eandem sibi remittunt, potest hoc in patientia tolerari*, qua in causa mutuis admittitur dissensus, et transactio de nuptiis non consummandis. At, si hoc non fiat, *monenda potius est, quam cogenda*, quae reluctatur. Ergo, aiunt aduersarii, cogi non potest. Sed vbi, quaeso, haec verbis inhaeret interpretatio? Non prorsus reicitur coactio, et prohibetur, sed non facile ad executionem descenditur. Vt enim iudici tractatio amicabile compositionis omnibus modis iniungitur, litesque magis componendae sunt, quam continuandae, hoc tamen causae decisionem non excludit, si compositionem partes admittere nolint. Eadem ratione *cap. 10. eod.* suadet, vt renuens *monetur*, quod *filiam B. duceret in uxorem, et si non pareat, auctoritate pontificis distincte compellatur*, (aliud igitur est monere prius, deinde compellere) vt *ipsam in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. Ceterum si legitime monitus, qui primus est gradus, iudicio tuo, h. e. rei iudicatae, eiusque executioni, parere contemserit, eum excommunicationis vinculo adstringas*, non vt liberetur a matrimonio, sed, vt in vulgata editione legitur, *ecclesiastica censura compellatur, vt ipsam in uxorem recipiat*. Nec contrarium est *cap. 2. X. eod.* Si forte sponsalia cum utraque contraxit iuramentum primum, *sicuti licite factum est, ipsum seruare compellas*. Non igitur moneas, non ei, velinte seruare, relinquas, sed compellas cogasque, *de secundo iuramento poenitentiam iniuncturus*, non, quod iuramenti fidem praestare debeat, sed quod duas ducere uxores non possit. In his igitur textibus, expressis verbis non videmus prohibitionem, ne quis ad consummandum matrimonium cogatur, vt potius compellatur. His enim in locis Pontifices non expresse

B

agunt

agunt de sententiae executione; sed de modo compellendi per censuras ecclesiasticas, quod pariter *cap. 2. et 10. h. t. faris* comprobatur, quae tamen vim rei iudicatae non tollunt, sed potius corroborant. Quis enim eo delabatur, ut existimet, si multa adiecta iudex civilis rem iudicatam exsequatur, ab effectu rei iudicatae, poena soluta, reum liberari, hunc autem per censuras ecclesiasticas, quibus compellitur ad iudicatum solui, a re iudicata immunem recedere posse.

Neque vero obiicit impedimentum copula carnalis, cum virgo illibata, ex sponsalibus publice factis, iuris vinculum, et ius quaesitum accepit, quod nolenti ipsi extorquere non potest, adeo ut incasta sponsa nihil, nisi misericordiae argumentum, praebet, cum opinio, ex qua sponsalia per concubitum firmata in matrimonium transeant, longe exulet. BOEHMER *Princ. Iur. Canon. Lib. III. Sect. II. Tit. III. §. 410.* et quae ad DEYLING *prud. pastor. p. 535.* KÜSTNERVS notauit.

Qua ratione autem, donec certe pro excusso non habetur, ad ducendam stuprator impraegnatam, aut is, qui, sine iuris sponsalibus, versatur in concubinato, ad nuptias contrahendas adigi possit, nullus video. Et cum his in causis secundum BOEHMERI sententiam admittatur coactio, cur in his, qui meliori iure, ut sponsalibus publicis, iuramento vel transactione vel re iudicata, confirmatis, utuntur, eadem reiiciatur.

Qua in re Iuris Saxonici etiam adest auctoritas, cum singulare rescriptum, CHRISTIANI II. *d. 10. April. 1607. Cod. August. T. I. p. 1011.* velit, ut cum G., post rem iudicatam, carcere inclusus, nolit consentire in matrimonium, per Diaconum, postquam fuerit admonitus, copuletur, et, si postea auferit, et post institutum desertionis processum redierit, secundum Ordinationem Ecclesiasticam, fustigatione imposta, e terris Saxonis eiciatur, qua in re faciendae a parocho interrogationis singularis extat formula, uti etiam per iudicis coactionem ad matrimonium perficiendum delinquentes adiguntur, *Rescript. d. 15. Ian. 1634. Cod. Aug.*

T. I. p. 1033. ex quarum Legum praescriptione non solum fere quoridie parti refractariae: *dass er in Verbleibung der Vollziehung der Ehe durch gebührende Zwangsmittel*, quae plerumque carcere primum simplici et breui, deinde et longiori cum carena, denique emigratione, continentur, FINCKELTHAVS. *Obseru. 42. ex Respons. Fac. Iur. Lips.*, sunt comminationes, GEORG. BEAT. *Sentent. de matrim. P. II. cap. 6.* qui adeo Ordinatt. Ecclesiast. et Constat. adducit, quas tamen reperire non potui. Profert etiam harum nuptiarum contractarum auctoritates CARPZOV. *Lib. II. Def. CXXXV.* et ad eum BEYERVS, et satis multas BRÜCKNERVS *Decis. matrim. cap. I. n. 7. pag. 46. sq. cap. 21. §. 16. p. 559.* ad quas vero grauis, antequam perficiantur, adhortatio accedat, necesse est. Quae rationes etiam Ordinem Ictorum Lips. permouerunt, vt, cum, in causa I. C. K. c. E. E. M. coram Consistorio Vinarienti agitata, ex Facultatis Iuridicae Goettingensis sententia, sponsa, post rem iudicatam, carcere inclusa, consentire noller, adeoque sponsalia ex *add. cap. 17. X. de sponsalit. dirimerentur*, innocentique pro damnis perpeßis 25 fl. addiceretur, eam, Leuterationis remedio a sponso interposito, ad carceres cum carena condemnarent. Neque eiusmodi contracti matrimonii desunt exempla, vbi loco renuentis vespertilionem respondisse, me legere memini. Poenae autem emigrationesque non obstant, quippe magis, vt iam LVTHERVS *ad I Cor. VII.* asseuerat, ob veram contumaciam, magistratusque contemptum iniunguntur, eoque magis singulorum prospicitur commodis, quod tum sponsa, tum liberi, matrimonio perfecto, fructuum quae inde proueniunt, sunt participes, quo pertinet *Decisio Elector. LXIX.* et sententia Scabin. Lips. apud CARPZOV. *l. c. Def. CXXXVI.* *dass die Klägerinn nichts weniger, als ob sie ehelichen mit ihm getrauet, in seine Güter eingewiesen werden soll.* Non igitur, si iuri quaesito aduersa pars institerit, dubito, quin iudici ad arctiora descendendum sit remedia, cuius sententiae auctoritatem defendunt inprimis IOH. GERHARD *Loro de Coniugio §. 53. p. 238.* IOACH. ABEVST *de sponsal. cap. 61.* HARPPRECHT *ad Instit. de Nupt. n. 135.* et CARPZOV. *Dist. For. P. IV. Conf. XX. Def. 10.* ideoque non video, qua ratione in adducto a

BOEHMERO responso, *I. E. P. Lib. IV. Tit. I. §. 54.* vbi cum iudex secularis, qui ad remedia coactiua adhibenda requirebatur, carcere non posset renuentem adigere ad matrimonium consummandum, copula sacerdotalis, inuita altera parte adiecta erat, hoc pro excessu iudicis putetur, hancque ob causam ipsum solueretur matrimonium. Qua vero in re, vti ex summo iure, plerumque summa oritur iniuria, et hic aequitatis seruata ratione, prospiciendum est, ne inde deterius quid forte accidat, difficilemque coactio pariat exitum; quare haud alienum abs re putaverim, si in his animorum dissensionibus summa adhibeatur admonitio, *vt utraque pars interpositionem fidei postea sibi remittat.* Id vero si pars innocens facere detrectet, an Princeps ius ipsi quaesitum tollere possit, maiori subiectum est dubitationi. Etsi enim eo Principis potestas non facile procedat, tamen ius quaesitum cum iniuria alterius coniunctum a Principe posse tolli, multis argumentis dedit probatum ZIEGLER. *de iure maiestatis, pag. 803.* quare, vt, malis metuendis, saluti securitatisque publicae prospiciatur, in maxima animorum disiunctione, odioque irreconciliabili etiam sponsalia iure quaesito et re iudicata, confirmata, ex plenitudine potestatis, quam vocant, dissolui posse existimo. Cuius etiam rei in Consistorio Lipsi, exemplum obuenerit, cum H. per rem iudicatam euicisset, vt, praestito suppletorio, G., eam vxorem duceret, neque, re ad Consistorium Principis perlata, vlla ratione sponsa cedere vellet, sublati sponsalibus, loco damni summa 1000 thalerorum, et de expensis satisfactio ei fuit Principis rescripto addicta, eadem ratione, qua alia in causa dum K, condemnatoriam ad consummandum cum Oe. matrimonium persequeretur, multis ille quidem adhibitis admonitionibus iuri suo remisit, sed a summo Principe, *dass Beklagte, und deren Eltern, ihren Erbtheil nach, Klägern, vor Schimpf, Schaeden und Unkosten überhaupt 555 Rthl. in 14 Tagen zu bezahlen, sowohl die Unkosten dieses Termins allein zu tragen schuldig, decernebatur.*

In sponsalibus autem coactiones cum admittantur, eo minus in ipso matrimonio de hac re dubitari potest, tum, quod *Ordo Eccles. Tit. von Ehegatten, so einander boerslich verlassen, disponat:*

So

Sollten sie beide, oder das eine Theil unverfäemlich mit Gesaengnis so lange bestrafet werden, bis sie einander; wie stets gebühret, ehelich bewohnen; tum quod, vt vulgo notum est, matrimonia ipsa, quam sponsalia, difficiliter soluantur, nisi iusta sit, probataque, diuortii causa. Interea si illud sit consecutum, num reraclari possit, quaeritur? Iam vero inter omnes conuenit, si illud vel falsis ex causis testibusue sit impetratum, vel insanabili nullitate laboret, sententia facili tolli posse negotio. Sed quid faciamus, vbi, perspecta a medicis natura corporis, propter impotentiam, matrimonium per rem iudicatam, sit solutum, ex auctoritate cap. I. X. de frigid. et m. lef. si maritus post diuortium aliam acceperit, priora conubia reparare debet, qua in re non videtur procedere res iudicata, cuius rei falsa causa subest. Cum autem illa, quae viro, cui nupsit, adeo arcta est, vt nunquam ab eo valeat desorari, si ab eo sit per iudicium ecclesiae separata, et nihil alteri, cui arcta non sit, et per frequentem usum secundi, reddatur etiam apta primo, vtrum ad eum redire debeat, cum quo prius foedus inerat coniugale. De talibus non est facile iudicandum, ait cap. 6. eod. Iam vero, si quid video, arbitrium rei pendeat ab eo, si tunc adhuc integra, an nouum accesserit matrimonium. Nam cum semper sit dubium, vtrum respectiua sit impotentia, an non, quae tolli potest, magis rei iudicatae videtur standum.

Tandem succedat desertionis processus, in quo, si desertor, vel ante sententiam definitiuam, vel post, se sistat, hoc plerumque ponitur discriminis, vt, si res integra sit, non soluatur matrimonium, secus vero, si iam diligentiae iuramentum sit praestitum, adsitque res iudicata. cf. Doct. KÜSTNERI notas ad DEYL. prud. past. p. 624. quaquam desertori peritium denunciare licet.

Neque omittendum est, omnibus in causis, vbi matrimonium coactum locum habet, nocenti parti, si altera in summa permanet pertinacia, etiam contra praesentem ex causa desertionis agere, concedi, BOEHMER I. E. P. Lib. IV. Tit. 1. §. 55. BRVECKNER Decis. Matrim. cap. I. §. 12. pag. 31. et 48.

Spirituales adhuc supersunt causae, hisque annexae, v. c. si de iure patronatus quaeritur, sed cum in his quisquis facile viderem rem iudicatam non esse reiiciendam, eo minus argumentis id probare necessarium arbitror, ut ad id potius, cuius rei causa haec scriptio instituta est, me conuertam.

Indicanda nempe est solennitas doctoralis Candidati dignissimi, cuius nunc enarranda est vita.

AVGVSTINVS FRIDERICVS MÜLLERVS DE BERNECK,

natus in hac vrbe d. XXV. Martii a. huius seculi XXXVII. patre ERNESTO, mercatore, ac inter collegii sui magistris seniore, matre IOHANNA SOPHIA, e gente COITHIA, cuius praematura mors ut patris tranquilla senectute diu compensetur, optat. Post primae pueritiae domesticam disciplinam, HOFFMANNI, nunc in schola Thomana Tertii praeceptoris, nec non b. LEISNERI, in eadem tunc Rectoris, fidelis ac liberalis institutio eum ad academiam praeparauit, quam a. LXV. petiit, iam antea numero ciuium a Rectore magnif. LVDWIGIO adscriptus. Hic vsus est praeceptoribus optimis, et in philosophia quidem cum vniuersa, tum in physica, logicaque, experimentis scribendique exercitatione illustratis, b. WINCKLERO, in eadem logica SEYDLIZIO, in historia philosophica et restauratae per Lutherum religionis BVRSCHERO, in mathesi b. RVDOLPHO, atque in doctrina morum b. GELLERTO; simul litterarum humaniorum causa ERNESTI, CLODII ac REIZII scholis interfuit. In iurisprudentia addiscenda praeceptores secutus est, ciuili,

BREVNIN-

BREVNINGIVM, SAMMETIVMQUE, et eodem praeceunte iuri naturali ac gentium, imprimis quod ad legatorum iura pertinet, item iuri publico vniuersali et clientelari operam nauauit; iuris vero canonici et publici cognitionem a SEGERO, atque, in iudiciis recte versandi, a WINCKLERO et ZOLLERO hauriens. Sic in nostra academia haud leui iurisperitia instructus, etiam Goettingensem a. LXIX. adiit, ibique per annum viros celeberrimos, PÜTTERVM, imperii R. G. historiam ac iura, SELCHOVIVM, ius Germanicum, BOEHMERVM, feudale et canonicum, MEISTERVM, criminale et Digesta, ACHENWALLIVM denique, rationem statuum, quam vocant, explicantes audiuit. Redux inde factus, quamuis haustam iam doctrinam, adhuc discenda a magnif. BOEHMIO Saxoniae, Imperiique recentiori historia, et cognoscendo per SCHVANNVM iure publico nouissimo, tandem exercitationibus disputandi apud TOB. RICHTERVM confirmauit et auxit. Sic studiorum campum emenso, superatoque magna cum laude examinorum consuetorum periculo, proxima est prima iurisprudētiaē meta, Doctoris honos et titulus, quem Ordo noster ipsi, vt admodum digno, decreuit. Quapropter eum, cum omnibus priuilegiis, sola spe, quondam in ordine nostro assidendi, excepta, Candidato, habita d. XXIX. Apr. ad L. XIII. C. de n. num. p. publica lectione, dieque postero disputatione de probatione indebiti, absque praefidis auxilio, defensa, dicto die XXX. Aprilis vir illustris et mihi amicissimus, D. CAROLVS GODOFREDVS WINCKLER, *Serenissimo Electori Sax. ab aulae consiliis, Facultatis nostrae Assessor, ciuitatis praetor ac scholae Thomanae Curator, cui*

munus

munus Promotoris delegavi, more maiorum tribuet. Cui solen-
 nitati vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMI-
 TES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIP. PROCERES
 GRAVISSIMI, ET ACADEMIAE CIVES GENEROSIS-
 SIMI, NOBILISSIMI frequentes interesse velint, ego rogo
 et obtestor. Scrib. Lipsiae Dominica Quasimodogeniti, a.
 MDCCCLXXII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



n

u


e

ULB Halle
005 361 834

3







14

1772, 39.

PROCANCELLARIVS
D. CHRISTIANVS LVDOVICVS
STIEGLITZ,

IN SVPREMA CVRIAPROVINC. SAX. ET FACVLTATIS
IVRIDICAE IN HAC ACADEMIA ASSESSOR, CIVITATIS
PROCONSVL, ET ECCLESIAE WVRZENSIS
CANONICVS

SOLEMNIA

INAUGVRATIONIS DOCTORALIS

VIRI PRAENOBILISSIMI

AVGVSTINI FRIDERICI MÜLLERI A BERNECK,

D. XXX. APRILIS A. CIOIOCCCLXXII.

HABENDA INDICIT

A C

*De executione rei iudicatae in causis ecclesiasticis
agit.*

